

*mixte scilicet xristiani & macometani* Armeni Jacopiti Jorgienses & perses habitant item sunt ibi gentes che macometum adorant/ ciuitas uero ualata est uiridarijs delectabilibus optimos producentibus fructus/ saraceni autem thoris perfidi sunt & mali nam ex lege sui macometi habent quod quomodocumque possint detrahare gentibus non inherentibus sue legi ad nulum eis imputatur peccatum/ & si xristiani eos occiderent uel aliquod *quod saraceni occisi a xristianis reputant se martires esse* grauamen eis infferent interse martires reputantur Et ob ista causa nisi cogarentur dominio quam plura mala comiterent hanc uero legem vniuersi saracenj obseruant & in fine sue uite ad ipsos accedit eorum| presbiter querens utrum credant 7r<sup>o</sup> macometum fuisse verum nuncium dei. & respondeant quod credunt tunc salui sunt.

*de hac ciuitate receserunt tres magi*

*hic aliqui ignem adorant*

*quod xristus est rex deus & medicus*

**P**ersya est quedam magna prouincia que antiquitus multum fuit nobilis. set eam tartari destruxerunt. In persia est quedam ciuitas. nomine sauia de qua receserunt tres magi quando iuerunt ad oratum yhesum. in hac ciuitate secundum quod dicitur etiam sepulti sunt illi magi in quadam tumba ualde pulcra & magna & super sepulcrum est quedam domus quadra & a parte superiori rotunda multum artificiosa. & corpora adhuc integra manent. & capilos habent & barbam. quorum nomina sunt hec primi gaspar. secundi. baldasar. & terciij melchior/ & postea quoddam castrum inuenerunt nomine calaaperiscam. quod interpretatur castrum adoratorium ignis. & hoc uerum est/ nam homines illius castri ignem adorant. & hec est causa dicebant enim quod antiquitus tres reges illius patrie iuerant ad oratum quemdam prophetam qui natus fuerat & secum tulerant oblationes tres uidelicet aurum thus & miram ut agnoscere[n]t an propheta ille esset deus an rex terrenus uel medicus nam distinxerunt sic si aurum accipit rex terrenus est si thus deus si mirra[m] medicus cum uero peruenissent ad locum ubi puer erat Junior ipsorum intrauit solus ad puerum causa uidendi eum quem sibi similem statura & etate inspexit de quo stupefactus exiuit post istum secundus etate intrauit cui simili modo aparuit forma & etate consimilis qui tunc similiter stupefactus exiuit Intrauit & tercius cui aparuit ilud idem cum uero cumuenissent omnes quilibet| narauit quod uiderat & omnes simul intrantes ipsum in etate qua 7v<sup>o</sup> esse debebat uidelicet dierum xiiij inuenerunt. tunc uero procidentes sibi munera obtulerunt uidelicet thus aurum & miram que omnia puer simul accepit. deditque eis piscidem unam clausam. qua asumpta postmodum discesserunt. cum uero per dietas aliquas equitassent cupientes uidere & scire de dono pueri aperuerunt piscidem inueneruntque solummodo lapidem unum impositum de quo admirati sunt ualde significationem lapidis ignorantes. set hec est nam cum tres reges propter acceptationem omnium oblationum ipsum puerum esse deum regem terrenum simul & medicum reputare[n]t prout est superius declaratum. & puer eos cognosens